



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

LXXXII. Charta compositiones, si aliquis puellam invitam traxerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

Petitus, Vitegerius, Alboinus, Olfardus, Lanceri & uxor sua Sieberta, Airmannus, & conjux ejus Adalburgis, & filia eorum Ingeltrudis, Cathindes, Megevardus, Pucellita, & Albutius. Qui praescriptus mansus cum omnibus appendiciis est in pago Carnotense, in vicaria Ganegiacense, in loco qui dicitur Sicheri villa. Haec omnia superius comprehensa die praesenti tibi sum daturus vel traditurus, totum & inexactum, ut quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habebis potestatem faciendi. Dono etiam tibi in praefixo pago vel in eadem vicaria, in loco qui dicitur Bonervilla, omnem medietatem, tam ex mancipiis quam ex alode, quam ibi videor habere, hoc est, mansum unum cui adpiciunt mansi serviles quatuor cum mancipiis quorum haec sunt nomina, Galastus, Ergarius, Pascarius, Marlinus, Polita, & Amelberga, vineis arpenorum quatuor, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, terris cultis & incultis, exitibus & regressibus, vel quicquid ibi adpiciat, omnem medietatem, tam in terris quam in mancipiis, id est, mansum unum cum mansis quatuor ibi adpicientibus, cum pratis arpenorum duorum, & medietatem Ecclesiae Dei.

Traditio ad sponsam.

LXXX. Dum multis habetur per cognitum qualiter ego ille puellam aliquam nomine illam una cum consensu parentum vel amicorum nostrorum legibus sponsavi, & aliquid de rebus meis ei donare ante diem nuptiarum disposui, ideo placuit mihi ut de ipsis rebus misso ipsius puellae nomine illi traditionem vel introductionem locorum secundum legem Romanam facere deberem, quod ita & feci. Ergo trado ei & tradidisse me constat locellum proprietatis meae nuncupatum illum, situm in pago illo, cum terris, aedificiis, accolabus, mancipiis, & cetera quae sequuntur, aurum, argentum, vestimenta. Haec omnia superius jam dicta tibi illi ad vicem sponsae meae trado, ita ut tempore nuptiarum in jam dictae sponsae meae veniant potestatem, ita ut secundum legis ordinem teneat atque possideat. Et si contra hanc traditionem aliquis refragare voluerit, partibus ipsius puellae sol. tant. componat, & haec traditio firma permaneat. *Si quando masculus & femina in raptum consenserint, & infra quinquennium litigentur.*

LXXXI. Notitia sub quorum praesentia

ibi veniens ille ante illum vel eos qui subter tenentur inferti, accusabat aliquem hominem nomine illum eo quod &c. *ut supra pag. 487.*

Charta compositionis, si aliquis puellam invitam traxerit.

LXXXII. Dulcissimae atque amantissimae conjugii meae nom. ill. ego ill. maritus tuus. Licet ergo ut ego raptu scelere absque voluntate parentum tuorum te mihi in conjugium visus sum sociasse, unde vitae periculum incurere potui, nisi intervenissent sacerdotes vel reliquae plures illustres personae, qui nos ad pacis concordiam vel unanimiter visi sunt revocasse. Qua de re convenit nobis ut de rebus proprietatis meae tibi aliquid donationis causa condonare deberem, quod ita & feci. Ideoque per hanc epistolam compositionis, sive per festucam & andelangum, dono tibi & donatum in perpetuo esse volo, id est, aliquam portiunculam meam in pago illo, in loco nuncupato illo, super fluvio illo, hoc est, mansos tantos cum hominibus ibidem commanentibus vel adpicientibus utriusque sexus, cum terris arabilibus, silvis, campis, pratis, cum inviis, perviis, omnia & ex omnibus, quicquid in ipso loco possidere praesenti tempore visus sum, totum & ad integrum tibi per hanc chartulam compositionis dono, trado, atque transfirmo. Similiter dono tibi in auro vel argento solidos francos tantos. In tali vero tenore ut haec omnia superius nominata a die praesente habeas, teneas, atque possideas, posterisque nostris ad possidendum relinquant, vel quicquid exinde facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem. Et si aliquis contra hanc epistolam compositionis venire aut eam irritam facere voluerit, inferat tibi tantum & aliud tantum quantum eo tempore ipsa portiuncula valuerit. Et insuper publico fisco auri uncias tantas, argenti libras tantas coactus exsolvat, & quod repetit nullatenus evindicat, sed praesens haec epistola compositionis omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum. & reliqua.

Alia charta compositionis.

LXXXIII. Viventibus patribus inter filios familias sine voluntate eorum matrimonia non legitime copulantur. Idcirco in Dei nomine ille, dulcissima &c. *ut supra pag. 414. 477.*

Libellus repudij.

LXXXIV. Certis rebus & probatis